



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Rhenani alij n. 20

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

aptius reprimendo homini frænum ille censuit, quàm publicè proclamando: Ni quiesceret, sciri viam, quâ adducerentur Iesuitæ. Ita in *Annal. Soc. ann. 1601. fol. 419.*

19. A MASPVRGENSI Doctore celebri *Academia Maspurgensis in Epist. ad quemdam è Nostris Collegij Moguntini*, Exercitia (inquit) Vestra Scholastica ad summam fidem, & diligentiam, summam etiam apud hostes merentur laudem: & si per sumptus saluaque existimatione mea liceret, nullibi quàm apud vos filios meos liberalibus studijs operam nauare vellem: sed isto beneficio mihi frui non licet, qui vix etiam absque calumnijs cum viris doctis per litteras colloqui possum. Ita *Ibid. fol. 579.*

Ob summam in literis, diligentiam summam apud hostes merentur laudem.

20. A RHENANIS *Vallium Montis-rhogesi de Societatis hominibus sic affirmantibus*; Si talis semper dicendi faciendique Magistros habuissent, se numquam non Catholicos fuisse futuros. *Ibid. fol. 606.*

Eorū Magisterium hæreticorū Magisterio præponitur.

21. AB HILDESIENSI *Prædicante ex Eadem Phenana Provincia asserente*, Extra controuersiam esse maiores adolescentes in nostris, quàm in suis Scholis in literis progressus facturos: & si vlla vsquam viros doctos alat disciplina, vel Iesuitarum esse, vel nullam. *Ibid. fol. 624.*

Eorū Schola laudantur ex iuuenum profectu.

22. A NEVMASENSI. *Ex Provincia Lugdunensi: qui cum accusaretur à suis, quod cum Iesuitis familiarius ageret, crebroque ipsos ad Philosophicas concertationes inuitaret, respondit*; se Catholicum haud quidem esse, plus tamen apud se ponderis habere Iesuitæ cuiuslibet etiam vulgarem doctrinam, quam omnium Ministellorum pronunciata, qui ad proposita conticefcerent, & nulla de re perite philosopharentur. Ita in *Annal. Soc. ann. 1602. fol. 325.*

Iesuitarum doctrina antelata Hæreticorū doctrina.

23. A MARTINO LVTHERO *Eiusdem planè nominis cum notissimo illo Germaniæ Hæresiarcha, qui tanti à Prædicantibus fiebat, vt dicerent, per illum Lutheranismum iterum instaurandum, & tamen conuictus à Nostro est. Cumque nil possent sui ab eo extorquere, negant suppellectilem se restitutos, nisi chirographo testetur*

A quorum doctrina nequit reuocari Hæreticus.